

eorum et perdam contumeliam iniquorum et iniuriam
superborum humiliabo. Et erunt qui relictii fuerint pre-
tiosi magis quam aurum sine igne et homo pretiosior erit
quam lapis ex Ophir. Caelum enim quatietur et terra
50 movebitur a fundamentis suis propter furorem irae
Domini Sabaoth, in die qua supervenerit furor eius.» Et
iterum dicit : « Fenestrae caeli aperientur et movebuntur
fundamenta terae, perturbatione perturbabitur terra, stu-
pore stupebit terra, inclinatione inclinabitur terra et incli-
55 nata est, commotione commovebitur terra, sicut ebrius et
crapulatus excutietur, sicut pomorum custodia terra ca-
det et non poterit resurgere, invaluit enim super eam ini-
quitas. Et inducet Deus super ornatum caeli et in excelso
manum suam in die illa et super regna terrae, et congrega-
60 tionem eius ponet in vinculis et concludet eam in locum
munitum. » Sed et Malachias propheta consona his loqui-
tur dicens : « Ecce venit Dominus omnipotens. Et quis
sustinebit diem adventus eius ? Aut quis supportabit
conspectum eius quoniam ipse ingrediatur ut ignis con-
65 flatorii et sicut poa lavantium et sedebit conflans et pur-
gans sicut aurum et sicut argentum. » Et iterum dicit :
« Ecce dies Domini venit ardens ut clibanus et exuret eos
et erunt omnes alienigenae et omnes qui faciunt iniquita-
tem ut stipula et incendet eos dies illa quae venit, dicit
70 Dominus omnipotens, et non relinquetur radix neque
palmes. » Alius vero, ille vir desideriorum, ita dicit :
« Et ecce videbam et throni positi sunt et vetustus die-